Quelle: http://manuscripta.at/?ID=25873
Copyright: Admont, Benediktinerstift

simus. et custodite precepta mea et cerimoni
as iuxta omnem legem quam precepi patribus vestris.
et sicut misi ad vos in manu servorum meorum pro
phetarum. Qui non audierunt. sed induraverunt
cervicem suam iuxta cervicem patrum suorum qui
noluerunt obedire domino deo suo. et abiecerunt
legitima eius et pactum quod pepigit cum patribus
eorum. et testificationes quibus contestatus est eos.
secutique sunt vanitates. et vana egerunt. et se
cuti sunt gentes. que erant per circuitum eorum. super
quibus preceperat dominus eis. ut non facerent sicut ille fa
ciebant. et dereliquerunt omnia precepta domini dei
sui. feceruntque conflatiles sibi duos vitulos et
lucos. et adoraverunt universam militiam celi.
servieruntque baal. et consecrabant filios suos
et filias suas per ignem. et divinationibus inser
viebant et auguriis. et tradiderunt se ut fa
cerent malum coram domino et irritarent eum.
Ecce iterum factum hic replicatur quod magna
mysticorum eminentia comitatur. Filii israel
domino deo suo peccant. cum spiritu anima et cor
pus a creatore deo declinant. Qui eos de terra
eduxit. cum eis cognitionem dei et sui tribuit.
Qui eos de manu pharaonis regis egypti libe
ravit. cum eos in baptismi sanctificatione ab om
ni peccati contagione emundavit. Deos
alienos colunt. cum viciis spiritalibus et carnali
bus inserviunt. Iuxta ritum gentium am
bulant. cum divini iudicii obliti temere
peccant. quia gentes deum ignorant. Quas
dominus in conspectu filiorum israel consumpsit. quia
spiritus sanctus. qui est deus. gentes viciorum. fulgore
virtutum depellit. Reges israel sunt rationales
sensus hominis. qui presunt cognitionibus verbis
et factis. Hii simulacra faciunt. cum similitu
dinem viciorum in se depingunt. Filii israel verbis
non rectis dominum deum suum operiunt. cum spiritu anima
et corpus. cognitionibus illicitis verbis et factis.
vultum sui creatoris a se repellunt. Oculi enim
domini super iustos. et aures eius in preces eorum. Vultus
autem domini super facientes mala. ut perdat de terra
memoriam eorum. Filii israel excelsa sibi in cunctis ur
bibus suis edificant. dum superbie edificia in cunctis
sensibus suis collocant. A turre custodum usque ad
civitatem munitam. Custodum turris. est directio cor
dis. iuxta illud salomonis. Omni custodia ser
va cor tuum. quoniam ex ipso vita procedit. Civitas
munita. est verborum et operum firmitas vite. A tur
re ergo custodum usque ad civitatem munitam excelsa edi
ficantur. cum in cognitionibus verbis et factis superbie
simulacra formantur. Statuas sibi faciunt. cum super
bie et vane glorie serviunt. Lucos sibi faciunt. cum
opera voluptatis in tenebris peragunt. In omni col
le sublimi quod est superbia vite. subter omne lignum ne
morosum. quod est concupiscentia carnis. et concupiscentia
oculorum. Adolent super aras incensum. dum in secretis
cordis fetorem congerunt viciorum. In morem gentium
que ignorant deum. quas tulerat dominus a facie eorum. cum
de paganismo per baptismum eos perduxit ad christia
nismum. Verba pessima faciunt. qui creatorem con
temnunt. et creature serviunt. irritant dominum. qui
secuntur diabolum. Colunt immundicias. qui luxurie
exercent spurcicias. De quibus dominus eis preceperat. cum
primis parentibus lignum scientie boni et mali in
paradyso interdixerat. Ne verbum hoc facerent.
ne conscientiam suam labe peccati pollueret. Dominus in
israel et iuda per manum omnium prophetarum et
videntium testificatus. quia quecumque deus in prophetis et in
scripturis sanctis loquitur. per hec sensus hominis in
teriores et exteriores exhortatur. Revertimini a viis vestris
pessimis. que ducunt ad portas inferni et mortis.
Custodite precepta mea in dilectione dei. et cerimoni
as in dilectione proximi. Iuxta omnem legem quam
precepi patribus vestris. terminum obedientie prefigens pa
rentibus primis. Sicut misi ad vos in manu servorum
13 meorum prophetarum. qui vos commonefacerent vitare
devia prevaricationum patriarum. Israel et iuda non audi
unt. dum spiritu anima et corpus preceptis creatoris
sui non obediunt. Cervicem suam indurant. dum a dilec
tione dei intentionem cordis declinant. Iuxta cer